



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Practica Theologiae Mysticae

Gelen, Victor

Coloniae Agrippinae, 1652

Articulus Quintus. Extra ordinarias mentis perceptiones, voluntatisq[ue] amorosas, excitationes, sicut etiam actus infusos, statum mystici non mutare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9766

Cum autem sensibilis deuotio bene ordinata, sit quasi umbraculum meridiani æstus, ne scilicet dum peregrinamur à Domino, terrenarum rerum concupiscentia allecti, & abstracti, ab incommutabili ad commutabile bonum desleamur; serio curet spiritualis Magister, vt blandimentum diuinæ consolationis moderatè propinet, quò ita simul anni adolescentiæ, ac pruritus mundi mysticis Athletis quasi furtiuè abeant; donec virili constantia, & iudicio armati, corruptam in seipsis naturam potiùs videant, quam sentiant: alioquin prodigahter assumpta sensuualitate diuina, subsequitur carnalitas humana, iuxta illud Apostoli: *a* Cum in Christo luxuriatae fuerint, tunc nubere volunt. quasi diceret, nonnulli postquam in diuinis recollectionibus sensibilem amorem non ampliùs gustant, tum ad sæculi voluptatem, cor, animum, & corpus conuertunt. quod certè plerumque in adolescentioribus cuiuscunque sexus, si sese ad mortificationes, & virtutes solidè exercendas non impenderint, contingere manifestum est, illis maximè, qui in praxi diu, & multifariè versantur. Ne autem spiritualis Director circa operationes supernaturales, & præstantiores accidentaliter immittas hallucinetur, consequenter dicitur,

a 1. Tim. 5. *b* Rich. l. 4. de Cont. c. 22.

Extraordinarias mentis perceptiones, voluntatisq; excitationes amorosas, sicut etiam actus infusos, statum mystici non mutare.

ARTICVLVS QVINTVS.

IN ordine consecutiuo statuum incipientium, & proficientium, tam intelligendo, quàm explicando, nihil tam facile, etiam spirituales Magistros inuoluere potest, quam ignorantia actuum diuinitus infusorum. hos enim cum vel non aduertant, vel admirentur duntaxat; præsertim quod subindè reales mentis eleuationes, imperfectas autem vt plurimum, rariùs verò perfectas, Ecstasies, & raptus efficiant; minus clarè dignoscere valent, an istiusmodi operationes inferioribus statibus conueniant. Vndè cum facillimè cogitent, tales animas ad sublimiores status eleuatas esse, exercitia quoque spiritualia statum ordinarium transcendentia, incongruè assignant.

Sciendum est ergò [omnia *b* contemplationis genera posse fieri cum mentis excessu, & in omnibus etiam infimis statibus meditationis, aspirationis, & contemplationis vtriusq; modi, locum esse actuum infusorum, ita vt aliquando iuxta beneplacitam, & ab oculis viuientium absconditâ Dei sapientiam, pia anima à Deo dignetur sublimiori gratia; independentem quidem ab omni exercitio, directione, & auxilio huma-

no.

no: cum eo tamen, ut licet à Deo actus infusi, aut voluntatis amorosæ excitationes, in inferioribus statibus mysticū ad excessus mentales, ecstases, aut raptus eleuare possint; id tamen non fieri nisi in actu transeunte, ita ut cessante actu infuso, & eius operatione, consueta sint reassumenda media, & auxilia interna proprio statui conformia: licet aliquis de illorum numero esset, qui gratias sanctorum Viatorum præ se ferre videretur. Vnde etiam legimus nonnullos sanctos post summas ecstases, & raptus, pias meditationes solitas realsumpsisse, id quod non tam imperfectiōi spiritali, quam gratiæ diuinæ intentioni, & remissioni tribuendum est. licet autem dicti actus infusi, & commotiones voluntatis statum mystici non mutant; possunt tamen piā animam (per saltum *a* promouere;) ut si quis, verbi gratia, à statu meditationis ad statum contemplationis ita diuinitus transferretur, ut non amplius ea quæ sunt meditationis; sed quæ contemplationis sunt, exercere posset: tum enim nequaquam vrgenda esset pia anima, ut ad priores status practicandos reuerteretur, nisi hoc fieret ad probandum, num verè non amplius in prioribus statibus quicquam possit. quod pro maiori cautela, à Magistro spiritali prudenter fieret. Sicut autem contingit spirituales Directores falli circa operationes supernaturales, ita

etiam circa priuationes improprias: unde consequenter dicitur,

Priuationes improprias ex ipsa prauitate natura & mentis hebetudine prouenire.

ARTICVLVS SEXTVS.

PRæter suprapositas causas *b* improprias priuationis, & desolationis spiritalis, Instructor mysticus scire habet, [quod ipsa sensus hebetudo *c* sit quædam mentis debilitas, circa spiritalium bonorum considerationem;] quodque [ipsa sensualitatis inordinata *d* inclinatio, ex destitutione originalis iustitiæ proueniens lex carnis, seu lex fomitis dicatur, legisque rationem habeat, in quantum est pœnalis, & ex lege diuina hominem propria dignitate destitutum, consequens.] ita ut vel hinc infinitæ propemodum desolationes, ariditates, & interiora tædia indies aptid nonnullos iuniores, & durioris naturæ facillimè proueniant. quæ quidem non ut veræ *e* spiritus priuationes; sed ut infirmitates ipsius vitiatæ, & rebellis naturæ censeferi debent. præsertim cum hoc plurimum tempore ipsa incipientium, & quandoque proficientium cruda massa, & merissima spiritus incapacitas omnem animi languorem, & auersionem contra religionis instructiones,

O 2

mor-

a S. Bonauent. 7. Itin. at. b Decis. 5. art. 9. c S. Thom. 2. 2. q. 15. art. 2. d ibid.
e de quibus latius inf. 2. p. decis. 2